

a dicto iure et servitute absolvere et eximere, ac penitus libertare, praesertim cum bona praedicta vestrae iurisdictioni ecclesiasticae tamquam bona ecclesiastica subiacebunt. Super quo vestras et capituli vestri litteras a litteris erectionis et creationis distinctas petimus reversales. In quorum omnium testimonium et robur perpetuum sigillum nostrum maius praesentibus est appensum. Datum Frankenfurd Maguntinensis diocesis anno domini millesimo trecentesimo octuogesimo die vigesima sexta mensis Martii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem beschädigten Siegel des Erzbischofs mit Rücksiegel an einer Schnur von violetter Seide.

Balbini miscell. hist. Dec. I. lib. VI. p. 108 sqq.

No. 661. 1380. 19. Apr.

B. Nicolaus eignet dem Capitel von Peter von Elbersdorf in Wölfnitz erkaufte Geldzinsen.

In nomine domini amen. Cum omnia et singula etc. Nos igitur Nicolaus dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis ad universorum tam praesentium quam futurorum discretionem praesentium serie litterarum cupimus pervenire, quod strenuus Petrus de Elbrechtsdorf, noster fidelis dilectus, de consensu et bona voluntate suorum heredum ac bona deliberatione praehabita unam sexagenam grossorum Fribergensium annui census, siti in villa et in pago villae Wulfenewicz districtus Dresdensis in parrochia Bresenicz^{a)}, quem censum singulis annis solvit et solvere consuevit Johannes de Lüptowe^{b)} suique heredes et successores de uno manso in eadem villa residentes, videlicet mediam sexagenam grossorum pro festo sanctae Walpurgis et mediam sexagenam grossorum pro festo sancti Michahelis, quem censum praedictus Petrus de Elbrechtsdorf a nobis in feudum tenuit, habuit et possedit, iusto emptionis et venditionis titulo interveniente pro viginti sexagenis grossorum Fribergensium eidem Petro et suis heredibus integraliter persolutis vendidit honorabilibus viris dominis Nicolao decano totique capitulo ecclesiae Misnensis. Quem quidem censum et mansum — idem Petrus de Elbrechtsdorf constitutus coram nobis in manus nostras libere resignavit, renuncians cum dictis heredibus suis omni iuri et actioni ac cuiuscumque legis auxilio et beneficio — (wie No. 656). Et quia memorati domini decanus et capitulum iam dictum censum cum manso eiusdem census conferri — ipsis et ecclesiae nostrae Misnensi humiliter petierunt, specialiter tamen ad dispositionem et ordinationem praedicti domini Nicolai decani in ecclesia, qui praedictos censum et mansum suis propriis pecuniis comparavit, nos — praedictum censum et mansum, sitos in villa Wulfenewicz praedicta — dictis domino .. decano et capitulo — contulimus — nihil iuris nobis et successoribus nostris in censu et manso praedictis reservantes. In quorum omnium robur et evidens testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus appendendum, praesentibus honorabilibus et discretis viris Dythero de Wydera canonico Nüembürgensi, Jacobo de Künzendorf perpetuo in ecclesia Misnensi vicario ac strennuis Ticzmanno dapifero militi, Friderico de Grellenhayn,

a) Wölfnitz, Par. Briessnitz bei Dresden. b) Löbtau, ders. Par.